

pit sive occupat. Act. 3.21. Alij in caelo manent: Christus ipsis caelis etiam extremis superior factus dicitur in scripturis, ut omnia impleat Eph. 4, 10. Hebr. 4, 14. 7, 22. Christus denique sic ascendit, ut confederit ad dextram Majestatis divinae in Excelsis. Qualis ascensus nulli vel Angelorum vel sanctorum quorumvis in omnem aeternitatem obtingit Heb. 113.

73. Opera precium autem fuerit paucis considerare, quàm ἀπαιδέτως gens Calviniana & Iesuitica de Caelo, ad quod Christus ascenderit, philosophetur.

74. Robertus Bellarminus Esavitici agminis fax & tuba, Catholicos credere scribit, Christum in verum Caelum corporeum ascendisse, sive manserit supra & extra omnes Coelos, ita ut pedibus tangat convexum summi caeli.

75. Rationem qua motus Caelum comminiscatur corporeum, subijcit hanc, quod nimirum scriptura multis in locis, ut Psal. 115, 16. Iesa. 66, 1. Matth. 5, 35. & similibus caelum ac terram sibi mutuo opponat, ac proinde duo ista ejusdem naturae esse oporteat.

76. Sed Sophistam agit Iesuita, ex falsissima hypothesisi falsi dogmatis confirmationem petens; nempe: Ea omnia quae sibi mutuò opponuntur, ejusdem debere esse naturae.